



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

VIII. De Persona Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

## VIII.

DE PERSONA  
CHRISTI.

 X controvērsia superiore de Cœna Domini inter sinceros Theologos Augustanae Confessionis, & Caluinistas, qui alios etiam quosdam Theologos perturbārunt, dissensio orta est, de persona Christi, de duabus in Christo naturis, & de ipsarum proprietatibus.

*Status controvērsiae.*

Principalis huius dissidij quæstio fuit, an diuina & humana natura & utriusq; proprietates propter vñionem personalem, R E A L I T E R, hoc est, verè & reipsa in persona Christi inuicem communicent, & quousq; illa communicatio extendatur?

Sacramentarij affirmārunt, diuinam & humanam naturas in Christo eo modo personaliter vñitas esse, vt neutra alteri quicquām realiter, hoc est, verè, & reipsa, quod cuiusq; naturæ proprium sit, communicet: sed nomina tantūm nuda communicari. Vnio (inquiunt illi) facit tantūm nomina communia: vt videlicet Deus dicatur homo, & homo Deus appelletur: ita tamē, vt Deus nihil cum humanitate commune habeat: & viciissim humanitas nihil cum diuitate, quō ad ipsius Majestatem & proprietates, realiter, hoc est, reuerā & reipsa commune habeat. Contrariam verò huic dogmati sententiam D. Lutherus, & qui cum ipso faciunt, aduersus Sacramentarios propugnārunt.

AFFIR-

DE

## AFFIRMATIVA.

*Sincera doctrina Ecclesiae Dei, de persona Christi.*

**A**D explicandam hanc contiouersiam & iuxta analogiam fidei nostræ Christianæ decidendam fidem, doctrinam & confessionem nostram plam perspicue profitemur, videlicet:

I.  
*Luc. 1.*  
*Rom. 9.*

*Quod diuina & humana natura in Christo personaliter unitæ sint, ita prorsus, ut non sint duo Christi, unus filius Dei, alter filius hominis: sed ut unus & idem Dei & hominis filius.*

II.

Credimus, docemus, & confitemur, diuinam & humanaam naturas, non in unam substantiam commixtas, nec unam in alteram materialiter esse: sed utramque naturam retinere suas proprietates essentiales: ut quæ alterius naturæ proprietates fieri nequeant.

III.

Proprietates diuinæ naturæ sunt, esse omnipotentem, eternam, infinitam, & secundum naturam, naturalisq; suæ essentiæ proprietatem, per se, ubiq; praesentem esse, omnia nouissime, &c. Hæc omnia neq; sunt, neq; unquam sunt humanæ naturæ proprietates.

IV.

Humanæ autem naturæ proprietates sunt: corporam esse creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptam, pati, mori, ascendere, descendere, de loco ad locum moueri, esurire, sitiare, algere, affligi: & si quæ sunt similia. Hæc neq; sunt, neq; unquam sunt diuinæ naturæ proprietates.

V.

Cum vero diuina & humana naturæ personaliter hoc est, ad constituendum unum Æxistens, sint unitæ, credimus, docemus, & confitemur, ratione illan hypostaticam non esse talem copulationem aut combinationem, cuius ratione neutra natura cum alter-

perfo-

personaliter, hoc est, propter vniōnem personalem, quicquam commune habeat: qualis combinatio sit, cum duo afferes conglutinantur: ubi neuter alteri quicquam confert, aut aliquid ab altero accipit. Quia potius hic summa communio est, quam Deus cum as-  
sumto homine verē habet: & ex personali vniōne, &  
summa ac ineffabili communione, quae inde consequi-  
tur, totum illud promanat, quicquid humani de Deo,  
& quicquid diuini de homine Christo dicitur & cre-  
ditur. Et hanc vniōnem atque communionem na-  
turarum antiquissimi Ecclesie doctores similitudine  
seri carentis, itemq; vniōne corporis & animæ in  
homine, declararunt.

Hinc etiam credimus, docemus, atq; confitemur,  
quod Deus sit homo, & homo sit Deus: id quod ne-  
quaquam ita se haberet, si diuina & humana natura  
prosul inter se nihil reuera & re ipsa communicarent.

Quomodo enim homo, Mariæ filius, Deus aut fili-  
us Dei altissimi verē appellari posset, aut esset, si ipsius  
humanitas cum filio Dei non esset personaliter vni-  
ta: atque ita realiter, hoc est, verē & re ipsa, nūhil prorsus,  
excepto solo nudo nomine, cum ipso commune ha-  
beret?

Bam ob causam credimus, docemus, & confitemur,  
quod virgo Maria non nudum aut merum hominem  
duntaxat, sed verum Dei filium conceperit & genuerit:  
vnde recte Mater Dei & appellatur & reuerā est.

Inde porrò credimus, docemus, & confitemur, quod  
non nudus homo tantum, pro nobis passus, mortuus,  
& sepultus sit, ad inferos descenderit, à mortuis resur-  
rexit, ad celos ascenderit, & ad Majestatem & Omnipotenti-  
am Dei virtutem euctus fuerit: sed talis ho-  
mo, cuius humana natura cum filio Dei tam arctam  
ineffabilemq; vniōnem & communicationem habet, ut  
cum eo una sit facta persona.

VI.

VII.

VIII.

Qua-

IX.

Quapropter verè filius Dei pro nobis est passus; secundum proprietatem humanę naturę, quam in uitatem diuinę suę personę assumit, sibiq; eam propriam fecit: ut videlicet pati, & Pontifex noster summus reconciliationis nostrae cum Deo causa, esse posse. Sic enim scriptum est: Domini gloriæ crucifixerunt. Et: Sanguine Dei redempti sumus.

*I. Cor. 2.  
Acto. 20.*

X.

Ex eodem etiam fundamento credimus, docemus, & confitemur, filium hominis ad dextram omnipotentis Maiestatis, & virtutis Dei REALITER, hoc est, verè & re ipsa, secundum humanam suam naturam, esse exaltatum, cùm homo ille in Deum assumtus fuerit, quam primum in utero matris à Spiritu sancto est conceptus, eiusq; humanitas iam tum cum filio Dei altissimi personaliter fuerit unita.

XI.

Eamq; Maiestatem, ratione unionis personalis, semper Christus habuit: sed in statu suę humilationis esse exinanuit: qua de causa reverā aetate, sapientia, & gratia apud Deum atq; homines PROFECIT. Quare Maiestatem illam non semper, sed quoties ipse visus fuit, exeruit: donec formam serui, non autem naturam humanam, post resurrectionem plenē & prorsus deponebat, & in plenariam usurpationem, manifestationem, & declarationem diuinę maiestatis collocaretur, & hoc modo in gloriam suam ingrederetur. Itaq; iam non tantum ut Deus, verū etiam ut homo, omnia nouit, omnia potest, omnibus creaturis praesens est, & omnia quae in celis, in terris, & sub terra sunt, sub pedibus suis, & in manu sua habet. Hac ita se habere, Christus ipse testatur, inquiens: Mihi data est omnis potestas in celo & in terra. Et Paulus ait: Ascendit super omnes caelos, ut omnia impleat. Hanc suam potestatem vbiq; praesens exercere potest: neq; quicquam illi aut impossibile est, aut ignotum.

XII.

Inde adeò, & quidem facilimè, corpus suum verum

&amp; Ian-

*Johann. 13.**Matth. 28.**Ephes. 4.*

R

& sanguinem suum in sacra Cœna præsens distribuere potest. Id verò non sit secundūm modum & proprietatem humanæ naturæ: sed secundūm modum & proprietatem dextræ Dei: vt Lutherus secundūm analogiam fidei nostræ Christianæ in Catechesi comprehensæ, loqui solet. Et hæc Christi in sacra Cœna præsentia neq;  
physica aut terrena est, neq;  
Capernaïtica: interim tamè verissima & quidem substantialis est. Sic enim verba  
Testamenti Christi sonant: Hoc est, est, est corpus meum, &c.

Hac nostra fide, doctrina & confessione persona Christi non soluitur: quod olim Nestorius fecit. Is enim veram communicationem Idiomatum seu proprietatum vtriusq; naturæ in Christo negauit, & hanc ratione Christi personam soluit: quam rem D. Lutherus in libello suo de Concilijs perspicuè declarauit. Neque hac pia nostra doctrina duæ in Christo naturæ, earumq; proprietates confunduntur, aut in vnâ essentiâ confundentur: (in quo errore Eutyches fuit) neq;  
humana natura in persona Christi negatur, aut aboleatur: neq;  
altera natura in alteram mutatur. Sed Christus verus Deus & homo in vna indiuisa persona est, permanetq; in omnem æternitatem. Hoc post illud Trinitatis summum est mysterium, vt Apostolus testatur: in quo solo tota nostra consolatio, vita & salus posita est. *Tim. 3.*

## XII.

## V

## IV

## III

## II

## I

## NEGATIVA.

## Contrariæ &amp; false doctrinæ de persona Christi reiectione.

**R**epudiamus igitur atque damnamus omnes erroneos, quos iam recitabimus, articulos: eò quod verbo Dei & sinceræ fidei nostræ Christianæ repugnant, cum videjicit sequentes errorēs docentur.

Q q

Quod

- I. Quod Deus & homo in Christo non constituantur  
nam personam: sed quod alius sit Dei filius, & alius ho-  
minis filius: ut Nestorius deliravit.
- II. Quod diuina & humana naturae in unam essentiam  
commixtae sint, & humana natura in Deitatem muta-  
ta sit, ut Eutyches furenter dixit.
- III. Quod Christus non sit verus, naturalis, & eternus  
Deus: ut Arius blasphemauit.
- IV. Quod Christus non veram humanam naturam a-  
nima rationali & corpore constantem habuerit; ut  
Marcion finxit.
- V. Quod unio personalis faciat tantum communia  
nomina, & communes titulos.
- VI. Quod phrasis tantum & modus quidam loquendi  
sit, cum dicitur: Deus est homo, & homo est Deus;  
si quidem diuinitas nihil cum humanitate, & humani-  
tas nihil cum deitate. R E A L I T E R , hoc est, vere &  
re ipsa, commune habeat.
- VII. Quod tantum sit V E R B A L I S, sine re ipsa, idio-  
matum communicatio, cum dicitur: Filium Dei pro  
peccatis mundi mortuum esse: Filium hominis omni-  
potentem factum esse.
- VIII. Quod humana in Christo natura, eo modo, quo est  
diuinitas, facta sit essentia quedam infinita: & ex hac  
essentiali, communicata, in humanam naturam effusa,  
& a Deo separata virtute & proprietate, eo modo, quo  
divina natura, ubique praesens sit.
- IX. Quod humana natura diuinæ, ratione substantia  
atque essentiæ suæ, vel proprietatum diuinarum essen-  
tialium exæquata sit.
- X. Quod humana natura in Christo, ita omnia loca  
cœli & terræ localiter expansa sit: quod ne quidem di-  
uinæ naturæ est tribuendum.
- XL. Quod Christo impossibile sit, propter humanae na-

ture proprietatem, ut simul in pluribus, quam in uno loco, nemus ubiq; suo cum corpore esse possit.

Quod sola humanitas pro nobis passa sit, nosq; redemit: & quod filius Dei in passione nullam prorsus cum humanitate (reipsa) communicationem habuerit: perinde ac si id negotium nihil ad ipsum pertinisset.

Quod filius Dei tantummodo diuinitate sua nobis interris, in verbo, Sacramentis, in omnibus deniq; exhumis nostris, prelens sit: & quod haec praesentia prorsus ad humanitatem nihil pertineat. Christo enim, postquam nos passione & morte sua redemerit, secundum humanitatem suam nihil amplius nobiscum interris esse negotij.

Quod filius Dei, qui humanam naturam assumpsit, iam post depositam servii formam, non omnia opera omnipotentiae suae, in, & cum humanitate sua, & per eam efficiat, sed tantum aliqua, & quidem in eo tantum loco, vbi humana natura est localiter.

Quod secundum humanitatem, Omnipotentia aliarumq; proprietatum diuinæ naturæ prorsus non sic capax: Idque afferere audent contra expressum testimonium Christi: Misi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Et contradicunt Paulus, qui ait: In ipso in habitat tota diuinitatis plenitudo corporaliter.

Quod Christo secundum humanitatem data quidem sit maxima potestas in cœlo & in terra, videlicet, maior & amplior, quam omnes Angeli & creaturæ accepérint: sed tamen ita, ut cum omnipotentia Dei nulla habeat communicationē: neq; omnipotentia illi data sit. Itaq; medium quandam potentiam, inter omnipotentiam Dei, & inter aliarum creaturarum potentiam, fingunt, datam Christo secundum humanam eius naturam per exaltationem: quæ minor quidem sit, quam Dei omnipotentia, maior tamen omnium aliarum creaturarum potestate.

XII.

XIII.

XIII.

XV.

*Matth. 28.  
Colos. 2.*

XVI.

XVII.

Quod Christo secundum spiritum suum humum certi limites positi sint, quantum, videlicet, ipsum scire oporteat: & quod non plus sciat, quam ipsi conveniat, & ad executionem sui officij, iudicis nimur necessario requiratur.

XVIII.

Colos. 2.

Quod Christus ne hodie quidem perfectam habeat cognitionem Dei, & omnium ipsius operum: Cum tamen de Christo scriptum sit: In ipso omnes thesauros sapientiae & scientiae absconditos esse.

XIX.

Quod Christo secundum humanitatis sui spiritum impossibile sit scire, quid ab aeterno fuerit, quid iam nunc ubique fiat, & quid in omnem aeternitatem futurum:

XX.

Matth. 28.

Reiçimus etiam, dannamusque, quod dictum Christi ( Mihi data est omnis potestas in celo & in terra ) horribili & blasphemia interpretatione a quibusdam depravatur, in hanc sententiam: quod Christo secundum diuinam suam naturam in resurrectione & ascensione ad celos iterum restitura fuerit omnis potestas in celo & in terra, perinde quasi, dum in statu humiliationis erat, eam potestatem, etiam secundum diuinitatem, deposuisset & exuisset. Hac enim doctrina non modo verba Testamenti Christi falsa explicatione pervertuntur: verum etiam dudum damnata Ariana heresi via de novo sterntur: ut tandem aeterna Christi diuinitas negetur, & Christus totus, quantus quantum est, vna cum salute nostra amittatur: nisi hinc impia doctrinæ ex solidis verbi Dei & fidei nostræ

Catholicæ fundamentis constanter contradicatur.



DE